

muneribus Chamingo duci gratias refert eique nuntiat, se a rege (Sigeberto?) plus, quam ab illo iuvene promissum sit, honoribus amplificari. (Versus, quos annexos commemorat, amissi sunt.)

XIV. Fortunatus Magnerici (Trevirensis) archiepiscopi, qui Nicetio, cuius discipulus fuerat, mortuo successit, potitus illius dignitate archiepiscopali, virtutes celebrat gratiamque petit.

XV. Mapinius (Remensis) archiepiscopus Vilici (Metensis) episcopi officium praedicans et exoptans, ut ad sexagesimum annum vitam perducatur, petit, ut edoceatur, quanti stent in eius regione porci.

XVI. Gogo (Childeberti II. regis nutricius) sapientiam Trasericici (Tullensis) episcopi laudibus efferens concedit, eius, qui indigena sit, consilium de quadam re datum praestare quam cuiusdam alieni immerito consulti, cuius dictio barbarum sapiat.

XVII. Dinamius (dux) Vilico (Metensi) episcopo excusans tardatam hanc suam epistolam nuntiat, se quae sibi imperata essent fecisse, et suppliciter mandat, efficiat, ut favore regis utatur, et grates pro muneribus transmissis agit.

XVIII. Theodebaldus rex Iustiniano imperatori, qui per Iohannem et Missurium legatos regi in solio patris posito gratulatus munera transmiserat, gratias agit et, conviciis imperatoris reprehendentis decessorem dilutis, amicitiam petitam condonat.

XIX. Theodebertus rex, a Iustiniano imperatore litteris a. d. X. Kal. Octob. acceptis tria milia militum Brigantino patricio auxilio mittere iussus, per Andream reverentem moram et legatione huius rei causa facta et ratione ab Andrea declaranda excusat et promittit, si imperatoris legati ad se redierint, omnia expedita fore.

XX. Theodebertus rex litteris Iustiniani imperatoris transmissis per Theodorum et Salomonem legatos interrogatus exponit, regno suo totam Franciam et Italiae Pannoniaeque partes contineri.

XXI. Rufus (Taurinensis) episcopus Nicetio (Trevirensi) archiepiscopo artifices Italicos optatos presbytero Amabili duce mittit conquestus, quod non iam ut antea eius praesentia frui possit; rogat ut Summoveho et Catellioni diaconis salutem dicat.

XXII. Gogus (nutricius Childeberti II. regis) praedio quodam in dioecesi Petri (Metensis) episcopi sito potitus, ab episcopo petit, ut illud in tutelam suam recipiat, et salutatur episcopum eiusque clericos.

XXIII. Auspicius Tullensis episcopus Arbogastem comitem Trevirorum designatum, filium Arigii, laudibus effert